

Bx 1999

.A3

V.35

V.2



PETRUS LAMBERTUS

TIT. S. CRUCIS IN HIERUSALEM S. R. E. PRESBYTER
CARDINALIS GOOSSENS,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS MECHLINIENSIS
PRIMAS BELGII

Omnibus has visuris salutem in Domino.

Cum hic Tractatus *de Rubricis Missalis Romani*, ad usum
alumnorum Seminarii nostri de novo editus, et ad normam
recentiorum Decretorum reformatus, claritate et utilitate mul-
tum commendetur, libenter eum approbamus, adhortamurque
nostrum Clerum ut, hoc opus diligenter perlegendo et perscru-
tando, quotidie magis in necessariis hujusmodi scientiis pro-
ficiat.

Datum Mechliniæ, die 10 Novembris 1902.

† P. L., CARD. GOOSSENS, *Arch. Mechl.*



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

SACRA LITURGIA

TRACTATUS

DE RUBRICIS MISSALIS ROMANI

NOTIONES PRÆVIÆ

Q. 1. *Quod est argumentum hujus Tractatus?*

R. In præsentī Tractatu exponuntur leges seu Ru-
bricæ descriptæ in Missali Romano, secundum quas
determinatæ preces dicendæ sunt in Sanctissimo Mis-
sæ Sacrificio.

Materia est celebratio Sanctissimi Missæ Sacrificii,
cujus præstantiam indicat ipsum nomen, quia Sacrifi-
cium Missæ peragere potissimum est ac longe ante
cætera excellens munus Sacerdotum in Ecclesia Dei.

Quæ spectant Missæ Sacrificium, ejusque celebratio-
nem exponuntur in Theologia, sive dogmatica, sive mo-
rali, sive ascetica, necnon in Jure Canonico; præstan-
tior pars tamen et magis practica expositionis hujus
Sacrificii pertinet ad Sacram Liturgiam, ejusque mate-
ria Liturgica tanti est momenti, ut in duplici Tractatu
de hac nobiliori Sacræ Liturgiæ parte sit dicendum.

Præsens Tractatus ea perhibet quæ supra in princi-
pio responsi indicantur, et inscribitur **Tractatus de Ru-
bricis Missalis Romani**.

In altero Tractatu describuntur Ritus, seu Cæremoni-
æ in ejusdem Sacrificii celebratione observandæ, et
inscribitur **Tractatus de celebratione Sanctissimi Mis-
sæ Sacrificii**.

§ 1. De nomine Missæ, et de Missarum distinctione

Q. 2. *Quibus nominibus in Liturgicis Libris et apud
Sanctos Patres designatur SS. Missæ Sacrificium?*

R. 1º Primum ac vetustius nomen Eucharistico indi-
S. LITURG. TRACT. DE RUB. MISS.

007502

tum Sacrificio illud est quod in Actibus Apostolorum (Cap. XX, v. 7) legitur, id est, **Fractio panis**.

2° Sæculis secundo, tertio, et sequentibus usitatissimum nomen accipit **Collectæ**, et **Synaxis**, quia colligitur in unum populus ut Sacrificio intersit; verum nonnumquam hoc nomen pro solemnibus quovis conventu usurpatur, quia colligi in unum populus solebat non solum ad Sacrificium, sed et ad alia **Officia divina**. (Tertullianus, S. Hieronymus.)

3° **Dominicum** dicitur, quia maxima est et præcipua functio, quæ Domini institutione et præcepto in Ecclesia peragitur. (S. Cyprianus, S. Augustinus.)

4° **Liturgia** vocatur, scilicet publicum ministerium, eo quod celebratio Missæ sit ministerium eminenter publicum centrumque totius Catholici cultus. (S. Clemens Romanus.)

5° Vertente autem sæculo tertio jam ad finem, et sæculo quarto, in Ecclesia Latina commune fuit nomen **Missæ**, de quo modo dicendum est. (S. Ambrosius, Peregrinatio Silvæ.)

Q. 3. Unde derivatur vox « Missa » ?

R. Communior opinio probabilius putat *Missam* a Latino derivari, quæ vox idem valet ac *missio*, *dimissio*, *abeundi venia*. — Vox *Missa* non est participium verbi *mitto* (subauditis vel concio, vel congregatio, vel oblatio); sed est substantivum, altera forma vocis *Missio*; quemadmodum *remissa* pro *remissio*, *oblata* pro *oblatio*, *ascensa* pro *ascensio* veteres dixerunt.

Q. 4. Quare Sacrificium Novæ Legis nomine **Missæ** indicatur ?

R. Quia in Sacrificii Liturgia duæ dimissiones erant, quarum altera Diaconus Catechumenos et infideles post Evangelium et Concionem; altera cæteros omnes, *Missa* peracta, dimittebat illis verbis: *Ite, Missa est*, (id est: *Ite, abeundi venia est seu datur*); quæ secunda dimissio etiamnum remanet; inde Sacrificio nostro *Missæ* nomen inditum. Cum autem antiquitus non una sed binæ fierent dimissiones, propterea Sacrificium appellabatur non modo *Missa*, sed etiam *Missæ*, in plurali (*Mis-*

sas facere, Missarum solemnibus). Ita Benedictus XIV, *De Sacrificio Missæ*, Lib. 2, C. 1, n. 2.

Sunt qui et aliam significationem vocis *Missa* dant: « Dicitur (ait S. Bonaventura in Expositione *Missæ*, Cap. 2) *Missa* a *mittendo*, et repræsentat legationem inter homines et Deum; Deus enim mittit Filium suum Christum in Altare, et iterum mittit Ecclesia fidelis eundem Christum ad Patrem, ut pro nobis intercedat. »

Vel juxta alios dicitur *Missa*, quia Sacerdotis ministerio, qui partes mediatoris Deum inter et homines agit, fidelium preces ad Deum mittuntur seu deferuntur. (Ita S. Gregorius, Lib. IV Dialogorum, Cap. 58, et cum eo sentit S. Thomas, in III parte, Q. 83, art. 4.)

Prima etymologia, ait Benedictus XIV (loco citato), verior videtur, altera ad pietatem propensior.

Cur autem hoc vocabulum veteres Christiani adhibuerint, atque a minima eaque accidentali Sacrificii parte totum ipsum Sacrificium appellaverint, id auctores ex arcani disciplina repetunt, nimirum, ut hominibus falsas religiones colentibus res divina omnino ignota remaneret.

Animadvertendum remanet *Missæ* nomen non semper ab antiquis scriptoribus pro Sacrificio usurpatum fuisse, sed post quartum sæculum etiam omnibus ecclesiasticis Officiis tum diurnis tum nocturnis tributum fuisse; ita Matutinum aliquando nominatur *Missæ matutinæ*, et Vesperæ dicuntur *Missæ vespertinæ*; quia nimirum olim, absoluto Officio, facultas abeundi, quemadmodum nunc fit in exitu Sacrificii, tribuebatur; sed tunc, ad distinguendum Sacrificium ab Officio, Sacrificium numero plurali vocari cepit, ut supra notatur.

Q. 5. Quomodo præcipue, intuitu materiæ explicandæ, distinguuntur diversæ *Missæ* celebrandæ ?

R. Distinguuntur 1° ratione solemnitatis extrinsecæ quacum celebrantur, in **solemnes, cantatas, et privatas**; — 2° ratione obligationis vi cuius debent celebrari, in **publicas**, quæ sunt **conventuales** aut **parochiales**, et **privatas**; — 3° ratione conformitatis cum Officio divino seu Horis canonicis, in **conformes Officio** et **non conformes Officio**.

4 (Q. 6-10) De Missarum distinctione

Q. 6. *Quænam Missa dicitur sollemnis?*

R. Missa sollemnis communiter dicitur illa, quæ omnem habet solemnitatem cantus, thuris, ministrorum sacrorum, earumque cæremoniarum, quas præscribunt Missale Romanum et Cæremoniale Episcoporum.

Quando celebratur ab Episcopo vocatur Missa **Pontificalis**.

Q. 7. *Quid est Missa privata, prout distinguitur a solemni?*

R. Missa **privata**, prout distinguitur a solemni, est illa quæ privatim, id est, sine cantu, sine thure, uno tantum ministrante clerico, celebratur.

Vocatur etiam Missa **lecta, plana, secreta, bassa**.

Q. 8. *Explica quid sit Missa cantata.*

R. Missa **cantata** ea est quæ media inter solemnem et privatam de utraque participat, cum solemni enim habet cantum, cum privata vero convenit in hoc quod incensum in ejus celebratione non adhibetur, et quod celebratur sine Ministris sacris Diacono et Subdiacono.

Vocatur etiam Missa **media**.

Q. 9. *Quid est Missa conventualis?*

R. Missa dicitur **conventualis**, quæ in Ecclesiis cathedralibus, collegiatis et conventualibus quotidie celebratur juxta ordinem Officii, post determinatam Officii divini Horam Canonicam, convenientibus ad eam Canonicis et clericis hujusmodi Ecclesiis adscriptis.

Vocatur etiam Missa **capitularis**.

Q. 10. *Quænam Missa dicitur parochialis?*

R. Est illa Missa, quam omnes qui actu curam animarum exercent tenentur, tum ex jure divino, tum ex jure ecclesiastico, pro grege suo offerre et applicare, omnibus diebus dominicis et festivis qui designantur in Constitutione Urbani VIII, *Universa per orbem*, data Idibus Septembris 1642, et in Epistola Encyclica Pii IX, *Amantissimi Redemptoris*, 3 Maji 1858.

Vocatur hæc Missa in variis documentis **publica, major, alta, præcipua, generalis, communis**.

De Missa parochiali (Q. 11) 5

Q. 11. *Quinam sunt dies in quibus celebrari debet Missa parochialis pro populo, et quid de variis obligationibus in his diebus notandum venit?*

R. I. Sunt dies sequentes (recensentur hic ordine quo occurrunt in Calendario):

Dominicæ omnes totius anni.

Festa mobilia:

Feria II post Pascha.

Feria III post Pascha.

Ascensio Domini.

Feria II post Pentecosten.

Feria III post Pentecosten.

Festum SS. Corporis Christi.

Festa fixa per annum:

1 Januarii, Circumcisio Domini.

6 " Epiphania Domini.

2 Februarii, Purificatio B. M. V.

24 vel 25 " S. Mathias, Apostolus.

19 Martii, S. Joseph, Sponsus B. M. V.

25 " Annuntiatio B. M. V.

1 Maji, SS. Philippus et Jacobus, Apostoli.

3 " Inventio S. Crucis.

24 Junii, Nativitas S. Joannis Baptistæ.

29 " SS. Petrus et Paulus, Apostoli.

25 Julii, S. Jacobus, Apostolus.

26 " S. Anna, Mater B. M. V.

10 Augusti, S. Laurentius, Martyr.

15 " Assumptio B. M. V.

24 " S. Bartholomæus, Apostolus.

8 Septembris, Nativitas B. M. V.

21 " S. Matthæus, Apostolus et Evangelista.

29 " Dedicatio S. Michaelis, Archangeli.

28 Octobris, SS. Simon et Judas, Apostoli.

1 Novembris, Festum Omnium Sanctorum.

30 " S. Andreas, Apostolus.

8 Decembris, Immaculata Conceptio B. M. V.

21 " S. Thomas, Apostolus.

25 " Nativitas D. N. Jesu Christi.

26 " S. Stephanus, Protomartyr.

- 27 Decembris, S. Joannes, Apostolus et Evangelista.
 28 » SS. Innocentes Martyres.
 31 » S. Silvester, Papa et Confessor.

Præterea Festum unius ex principalioribus Patronis in quocumque regno sive provincia. (In nostra Diœcesi ut talis colitur S. Joseph, cujus Festum jam recensetur supra, 19 Martii. Cfr. Tractatus de Officio divino, Q. 223.)

Insuper Festum Patroni principalioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi talem Patronum haberi et venerari contigerit. (Cfr. Tractatus de Officio divino, QQ. 219 ad 227.)

II. In his diebus et Festis adest ab antiquo et remanet hucusque integra obligatio applicandi Missam pro grege; pro reliquo cultu horum Festorum sequens distinctio animadverti debet in nostra Diœcesi:

1^o Sunt dies et Festa in quibus adest et remanet obligatio celebrandi divina Officia cum debita solemnitate, et audiendi Missam, ac abstinendi ab operibus servilibus. Sunt:

- Dominicæ omnes totius anni.
- Ascensio Domini.
- Assumptio B. M. V.
- Festum Omnium Sanctorum.
- Nativitas D. N. Jesu Christi.

2^o Sunt Festa in quibus divina Officia sunt celebranda ut diebus Dominicis cum debita solemnitate, sed pro quibus obligatio audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus fuit translata ad Dominicam sequentem, si non occurrant in diem Dominicam. Sunt:

- Epiphania Domini.
- Festum SS. Corporis Christi.
- SS. Petrus et Paulus, Apostoli.

Patronus principalis in quacumque civitate, oppido vel pago.

Ita statutum fuit per Indultum datum a SS. Domino Pio Papa VII, 9 Aprilis 1802.

In Directorio seu Kalendario Diœcesis Mechliniensis notatur in casu ad hæc Festa quod *Solemnitas transfertur in Dominicam sequentem.*

3^o Sunt Festa in quibus divina Officia sunt celebran-

da ut diebus Dominicis, sed in quibus obligatio audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus fuit omnino abrogata. Sunt:

- Circumcisio Domini.
- Feria II post Pascha.
- Feria II post Pentecosten.
- Purificatio B. M. V.
- Annuntiatio B. M. V.
- Nativitas B. M. V.
- Immaculata Conceptio B. M. V.
- S. Stephanus, Protomartyr.

Ita statutum fuit per supra citatum Indultum 9 Aprilis 1802.

In Directorio notatur ad hæc Festa: *Hodie Festum abrogatum.*

4^o Sunt reliqua Festa ex supra enumeratis, in quibus non amplius exstat obligatio celebrandi Officia divina ut diebus Dominicis, nec obligatio audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus, remanente tantum obligatione applicationis pro grege.

Ita statutum jam fuerat ante annum 1802, et speciatim per Breve Clementis XIV, 22 Junii 1771.

In Directorio seu Kalendario Mechliniensi pro omnibus Festis adnotatur obligatio applicandi Missam pro populo litteris M. P. appositis post designationem Festi. Non notatur pro diebus Dominicis, quia regula generalis est pro omnibus. Item non notatur pro Patrono loci, sed uniuscujusque, ad quem spectat, munus est hanc applicationem debita die Festi facere.

Si Festum aliquod, in quo Missa pro grege celebranda est, incidit in diem Dominicam, obligationi satisfit semel applicando pro populo.

Translato Officio alicujus Festi, non transfertur obligatio applicationis pro grege, quæ suæ diei affixa remanet.

Reliqua de hac Missa parochiali explicantur in Jure Canonico.

Q. 12. *Quid est Missa privata prout distinguitur a conventuali et parochiali, seu publica?*

R. Missa privata hic intelligitur illa pro qua dicenda aut applicanda nulla existit obligatio publica, qualis

datur pro conventuali et parochiali; sed quæ celebratur vel ex devotione, vel ob stipendium, vel ob quodcumque aliud motivum. (De Missa privata hoc sensu accepta agitur in Rubricis generalibus Missalis, Tit. IV, n. 3.)

Vocatur hujusmodi Missa **manualis, adventitia**, quando ejus applicatio fit ratione stipendii manualis, libere dati et accepti; — **fundata, legata**, quando applicatur pro exoneratione foundationis, perpetuæ vel temporalis. In antiquis documentis occurrit etiam nomen **Missæ annualis**, quæ ratione beneficii quotidie per annum pro fundatore debet celebrari.

Q. 13. *Quænam prænotanda sunt pro intelligentia distinctionis Missarum ratione conformitatis cum Officio divino?*

R. Ex variis precibus quæ dicuntur in celebratione Missæ cujuscumque, quædam earum dicuntur quotidie eadem, quando dicendæ sunt, et describuntur in ea parte Missalis cujus titulus est: Ordo Missæ (de quo dicitur postea in § 2, Q. 33, ubi agitur de Missali); tales sunt Psalmus *Judica*, Hymnus *Gloria*, Symbolum, preces in oblatione panis et vini, Canon Missæ, etc.

Aliæ vero preces, quæ in Ordine Missæ non reperiuntur, quotidie mutantur et diversæ dicuntur, selectæ secundum quod rogat Tempus anni ecclesiastici, vel Festum quod celebratur, respondentes Officio Horarum Canoniarum quod singulis diebus recitatur, sensumque hujus quasi complementes; hujusmodi preces variantes sunt: Introitus, Oratio, Epistola, Graduale et quæ ad illud pertinent, aut ejus locum tenent, Evangelium, Offertorium, Secreta, Communio, Postcommunio.

Istæ preces mutabiles Missæ in Missali describuntur conjunctæ pro singula Missa, et ipsis quidem nomen Missæ fuit datum; et ita, quando dicitur quod Missa celebratur de Dominica prima Adventus, vel de Festo Assumptionis B. Mariæ V., intelligitur quod istæ preces variantes sunt propriæ pro hac Dominica, pro hoc Festo, et in Missis his diebus celebratis dici debent.

Istæ Missæ non raro nomen habent ab initio Introitus, et ita vocantur Missa *Ad te levavi*, Missa *Gaudemus*, Missa *Statuit*, etc.

Q. 14. *Quot et quænam Missæ sunt quæ dicuntur juxta ordinem Officii, seu Officio divino conformes?*

R. In Tractatu de Officio divino exponitur (Q. 101), de quo objecto quotidie per annum dicendæ sunt Horæ Canonice, quod objectum quintuplex ibi indicatur; ita quoque sunt quinque diversæ species Missarum, quæ dicuntur juxta ordinem Officii, seu conformes Horis Canonicis, secundum hoc quintuplex objectum, scilicet Missæ: 1° de Dominica; 2° de Feria; 3° de Festo, vel duplici, vel semiduplici, vel simplici, aut de Officio votivo; 4° de Octava; 5° de Vigilia.

Duæ primæ species vocantur generatim Missæ de Tempore (scilicet anni ecclesiastici), reliquæ dicuntur item generatim Missæ de Sanctis.

Q. 15. *An Missa ordinarie debet esse conformis Officio?*

R. Rubrica Missalis (Tit. IV, n. 3) respondet: « Quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat. » Et ubi concedit, eodem n. 3, quod Missæ quædam Officio non conformes dici possunt pro arbitrio Sacerdotum, quocumque die officium non est duplex, aut de Dominica, statim addit: « Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa. »

Q. 16. *Quare Missa ordinarie debet esse conformis Officio?*

R. Ratio hujus conformitatis dari potest: 1°, quia ab Ecclesia destinantur singuli dies vel in cultum et honorem alicujus Sancti, vel in memoriam alicujus mysterii vel operis divini, et consequenter ipsa Ecclesia ordinat in eundem finem omnes sacras functiones cujuslibet diei, quales præcipuæ sunt Officium divinum et Missa; ita enim integrum cultum et non dimidium exhibet illis, quos colere intendit; 2°, quia Officium est præparatio et dispositio ad Missam; inter se consentiant igitur oportet dispositio et ultima ac sublimior forma ad quam disponit.

Q. 17. *Quot et quænam sunt Missæ quæ dicuntur extra ordinem Officii, seu Officio divino non conformes?*

R. Generatim omnis Missa quæ non correspondet cum Horis Canonicis Officii recitati nomen habet Missæ votivæ, sed distinguuntur duæ species: 1°. Missæ

quarum formulæ, seu preces variantes speciales dicuntur pro Defunctis, et vocantur **Missæ de Requiem**; et 2^o, Missæ quæ respondent votis seu desideriis particularibus, extra ordinem Officii, et vocantur proprie et speciatim **Missæ votivæ**.

Q. 18. *Indica et explica alias quæ in usu sunt distinctiones Missarum.*

R. Sunt et nonnulla alia genera Missarum, quarum distinctio desumitur ex variis ritibus, vel circumstantiis accidentalibus, in quibus eadem Missæ celebratæ sunt. Præcipuæ ex his Missis breviter hic recensentur, quæ aliquando, vel in Historia Ecclesiæ, vel in Jure Canonico, vel in Liturgia memorantur.

1. **Missæ Catechumenorum** est tantum pars Missæ, quæ constat iis ritibus qui peraguntur ab Introitu usque ad Symbolum, aut Offertorium exclusive; et dicebatur Missa seu Missio Catechumenorum, quia, absoluto sermone post Evangelium, dimittebantur Catechumeni ab Ecclesia, dicente Diacono: « Si quis est Catechumenus, exeat foras. »

2. **Missæ fidelium**, etiam dicta **Sacramentorum**, est Missa perfecta seu completa, in qua sacra Mysteria peraguntur a quibus arcebantur Catechumeni; incipiebat a professione fidei seu Symbolo, et complectebatur Offertorium et reliqua usque ad finem Missæ.

3. **Missæ Præsanctificatorum** vocatur illa, in qua Sacerdos non consecrat, sed tantummodo Sacramentum antea consecratum sumit sub unica specie panis. — Græci hujusmodi Missam celebrant omnibus diebus Quadragesimæ, si excipias Sabbata, Dominicas, et Festum Annuntiationis, in quibus communi Missæ locus est. Die enim Dominica, præter illius diei oblationem, consecrant quinque panes seu hostias pro totidem sequentibus feriis, in quibus sub vesperam conveniunt Sacerdotes in Ecclesiam, et ibi intra Vespertinarum precum Officium, unam panis particulam sumunt, præmissis quibusdam Psalmis, Lectionibus et Orationibus. — Occidentalis Ecclesia non utitur Præsanctificatorum ministerio, nisi Feria VI Majoris Hebdomadæ in Parasceve.

4. **Missæ solitaria** est illa quæ a solo Sacerdote, nemine præsentate aut ministrante, celebrabatur olim in monasteriis. — Sacri Canones districte prohibent hodie ne quis Sacerdos solus, sine ullo ministro, sacrum Mysterium conficiat; et jam diu abusus hic cessavit.

5. **Missæ sicca**, seu **nautica** dicitur illa quæ non solum Oblatione et Consecratione caret, sed etiam sumptione Corporis Christi. Olim introducta fuerat in gratiam infirmorum et navigantium; sed cum contineat veram sacrificandi et celebrandi simulationem, nullo modo toleratur.

6. **Missæ bifaciata, trifaciata, etc.**, olim in Gallis usitatæ, illæ erant quæ inde a principio usque ad Offertorium bis vel ter successive iterabantur, deinde uno Canone concludebantur, tot additis in fine Orationibus post communionem, quot initio recitatae fuerant. Merito, cum sint contrariæ divinæ institutioni et Ecclesiæ consuetudini, reprobatae fuerunt.

7. **Missæ nuncupatæ S. Gregorii, pro vivis et defunctis**, de quibus agitur in Decreto S. Rituum Congregationis quod immediate post Bullam Urbani VIII in Missali describitur, sunt Missæ numero triginta, prorsus ineptæ et rebus haud convenientibus refertæ, quas quidam sine ulla facultate temere confecerat, easque a S. Gregorio appellaverat. Per Decretum 16 Januarii 1617, S. Rituum Congregatio eas celebrari omnino vetuit; non vero piam reprobavit consuetudinem a S. Gregorio inductam, ut per triginta dies continuos totidem Sacrificia Deo offerantur pro illius expiatione qui e vivis decessit. (Cfr. Benedictus XIV, *Institutio ecclesiastica* 34, n. 22.)

8. **Missæ quindecim Auxiliatorum**, quæ eodem Decreto supra citato prohibita sunt, etiam antiquitus circumferebantur sub formulariis propriis minus convenientibus. Formularia tantum prohibita sunt; si de his Sanctis Auxiliatoribus dicenda sit Missa, celebrari potest de Communi plurimorum Martyrum 1^o vel 2^o loco, non expresso nomine; major enim eorumdem pars est ex numero Martyrum et describitur in Martyrologio.

Sancti Auxiliatores sunt sequentes: 1 S. Blasius, Martyr, reperitur in Martyrologio 3 Februarii; 2 S. Georgius, Martyr, 23 Aprilis; 3 S. Erasmus, Martyr, 2 Junii; 4 S. Vitus, Martyr, 15 Junii; 5 S. Margarita, Virgo et Martyr, 20 Julii; 6 S. Christophorus, Martyr, 25 Julii; 7 S. Pantaleon, Martyr, 27 Julii; 8 S. Cyriacus, Martyr, 8 Augusti; 9 S. Ægidius, Abbas, 1 Septembris; 10 S. Eustachius, Martyr, 20 Septembris; 11 S. Dionysius, Martyr, 9 Octobris; 12 S. Catharina, Virgo et Martyr, 25 Novembris; 13 S. Acatius, Episcopus Antiochenus et Martyr sub Decio, honoratur in Ecclesia Græca, sed non reperitur in Martyrologio Romano; 14 S. Barbara, Virgo et Martyr, 4 Decembris; tandem 15 B. Virgo Maria.

Sancti Auxiliatores præsertim honorantur in Germania, ad avertendum mala et obtinendum bona per eorum intercessionem: cultus hujus specialis origo ignota omnino est.

Q. 19. *Quibus linguis usi sunt Apostoli in celebratione Missæ?*

R. Certo demonstrari nequit, num Apostoli in celebratione SS. Missæ Sacrificii adhibuerint vel diversas gentium apud quas Christi fidem prædicabant, vel tantum linguas aramaicam (syrochaldaicam), græcam aut latinam.

Hisce tribus tantum linguis ipsos usos fuisse creditur, et eruitur ex eo quod per quatuor priora sæcula nullum alicujus Liturgiæ documentum reperiatur, nisi conscriptum una alterave harum trium linguarum quibus scriptus fuit titulus Dominicæ Cruci impositus.

Q. 20. *Quænam lingua primitus in usu fuit in Ecclesia Romana? Quænam postea præscripta fuit et hodiedum est?*

R. In Ecclesia Romana linguam græcam sæculis secundo et maxime tertio viguisse indubium videtur, quod inter alia demonstrant liturgica antiquæ linguæ vestigia, quæ et in hodierna Liturgia remanent; etenim varia nomina in ea occurrunt quæ græca sunt: acolythus, diaconus, presbyter, episcopus, canon, baptismus, Eucharistia, etc.; ex hoc similiter oritur praxis quæ etiam hodie in usu est, quod in solemnibus Missa a Summo Pontifice celebrata, lectio Evangelii et Epistolæ non modo latina, sed etiam græca lingua fiat; et antiquus mos legendi græca lingua Passionem Domini in Capella papali.

Per totum Occidentem vero, nempe in Italia, Hispania, Gallia, Anglia, Germania, lingua latina a sæculo tertio et quarto semper in usu fuit.

Imo, longe lateque per totum orbem Catholicum diffusa est in re divina peragenda lingua latina, et in Romano ritu nonnisi latino sermone Missa celebratur. Contra hanc præscriptionem impudenter deblaterant semper quotquot sunt hæretici, schismatici, rationalistæ, ex. gr., Albigenses, Reformatores omnes, Jansenistæ, Gallicani, Josephistæ, et nostris diebus veteres catholici; calumniantes idcirco latina lingua ab Ecclesia Romana Missam celebrari, ut Sacrificii mysteria populus omnino ignoret. Mendacium id esse satis ostendunt verba Concilii Tridentini (Sessio XXII, De

Sacrificio Missæ, cap. 8): « Etsi Missa magnam contineat populi eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo et a S. Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum matre et magistra probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et non sit, qui frangat eis, mandat S. Synodus pastoribus et singulis animarum curam gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios, ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis et festis. » (Cfr. Benedictus XIV, *De Sacrosancto Sacrificio Missæ*. Lib. II, Cap. II.)

Q. 21. *Quid notari potest de aliis linguis quæ pro celebratione Missæ in usu sunt?*

R. Circa finem sæculi noni, permisit Adrianus II primum, deinde Joannes VIII, ut gentes a Sanctis Cyrillo et Methodio conversæ usurparent in sacris peragendis linguam slavonicam (cfr. Breviarium Romanum, 7 Julii); quod ea de causa permissum præsertim putatur, ut ita impediretur earumdem gentium defectio a Catholica fide ad schisma Græcorum. Postea in Oriente etiam permisit Ecclesia, ut ad unitatem Catholicam redeuntes schismatici quidam et hæretici retinerent sua idiomata in re divina peragenda, quales sunt Copti, Armeni, Æthiopi.

Hodiedum in usu sunt in Catholica Liturgia duodecim diversæ linguæ, nempe 1 latina, 2 græca, 3 syriaca, 4 chaldaica, 5 arabica, 6 æthiopica, 7 slavonica (glagolitica), 8 ruthena, 9 bulgarica, 10 armenica, 11 coptica, 12 rumanica. Excepta ultima, rumanica, omnes quotquot recensentur liturgicæ linguæ sunt mortuæ, seu quæ non amplius in usu apud populum sunt; tantum rumani uniti utuntur sua lingua vernacula, quod Ecclesia non expresse sed sub silentio patitur. (Gihl, *Das Heilige Messopfer*. II, § 32.)

In Dalmatia præsentis sæculo usus linguæ slavice pluribus in ecclesiis paulatim in desuetudinem abire, ac consuetudo invalescere cepit, ut ea tantum slavice